



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 167. Emanuelis Imperatoris Filii Catholicorum Principum Filiabus
desponsati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Secul. XV. Angli, & Burgundi perinde, ac si unius
A.C. 1420. Patris filii, eademque gens essent, mu-
 tuam coluere amicitiam, atque anno se-
 quenti Henricus V. Anglorum Rex Ca-
 tharinam de Francia matrimonio sibi co-
 pulavit.

§. CLXVII.

*Emanuelis Imperatoris Filii Catholi-
 corum Principum Filiabus de-
 sponsati.*

In Oriente Emanuel Constantinopoli ad-
 huc sceptrum rotabat. Princeps erat
 apprime doctus, præcipue tamen schis-
 maticorum erroribus, eorumque parti-
 bus usque adeo addictus, ut ad tuendas
 illorum opiniones ipse calamum suum
 exercuerit. Verum successu temporis
 fervor decrevisse videbatur, sive ex eo,
 quod veritatem agnoverit, sive quod eam
 agnovisse, in sui commodum simulave-
 rit. Hic, dum Isthmum Corinthiacum
 clauserat, ut Turcas Peloponesi aditu ar-
 ceret, Latinorum fidei unacum Euthymio
 Patriarcha, Theologo præstantissimo i-
 terum accedere decreverat; cum ergo
 comperisset, demortui Patriarchæ suc-
 cessorem, Josephum Metropolitam Ephe-
 sinum paria fovere desideria, petiit a Mar-
 tino V. nuper in Constantiensi Synodo
 electo, ut senos, quos habebat, Filios,
 Joan-

Joannem, Theodorum, Andronicum, Constantinum, Demetrium, & Thomam Principum Catholicorum Filiabus connubio locare posset, quod & ejus precibus datum est.

Sæcul. XV.
A.C. 1420.

§. CLXVIII.

*Joannes Palæologus Emanuelis Filius
in consortium Imperii adscitus.*

Quod ubi impetravit Emanuel, hoc ipso anno Joannes ejus Filius natus major Sophiam Marchionis Montferratis Filiam uxorem duxit. Postea Emanuel senio, atque adversa valetudine plurimum viribus exhaustus, Joannem in societatem imperii vocavit, utque data occasione de Latinorum auxilio certior esset, animo constituit, denuo ad eorum unionem reverti. Compulerant Imperatorem ad capeffendum ejusmodi consilium calamitosæ ævi sui rationes; cum enim Mustaphæ partibus adversus Amuratem II. Turcarum Sultanum ejusdem fratrem faveret, ab illo satis gravi premebatur bello, cui utpote hosti potentissimo Emanuel, cum imparem se esse cereretur, ad Papam confugit, ejusque auxilium imploravit.